

301  
5  
RÖPL.

301

1583.

IOANN. COCHANOVII

*Ingl. I. 1. 2*

IN NVPTIAS

*2419*

ILLVSTRIVM IOAN. DE ZAMOSCIO,  
R. P. Cancellarii, & exercituum  
Præfecti:

AC GRISELDIS BATHORRHEAE  
Christophori Transilvaniae principis, et  
Sereniss. STEPHANI Poloniae  
regis fratris, filiae,

EPITHALAMION.



CRACOVIAE.

Anno Domini, M. D. LXXXIII.

Idib. Iun.

Ad lyram cecinit Christoph. Clabonus  
Musicus regius.



## Strophe I.



*I tibi, ô præses duelli  
Mars, tua est cordi Dione,  
si fatigatus iaculan-  
do, equitandoq; haud soles  
Aoniæ lyram, floresq; odoros  
aut platani veteris contemnere umbram:  
annue, ut Samoscius tu-  
us quoq; post diurna solo in  
hostico tractata bella,  
post tot exhaustos labores*

## Antistrophe I.

*hunc diem festumq; letumq;  
exigat. belli Tyrannum  
cœpit infausti saties,  
neque cristas iam erigit.  
mœstitia tacitus, curaq; inani  
cor edit ipse suum: non iam minax, non  
asper, aut tuens acerbum:  
quo domitando opera egregia  
exitit tua, ô Samosci,  
per triennalis procellas*

A ij

Epodos

## Epodos I.

belli, variamque hyemem.  
 vel nunc itaque  
 sollicitudineque omni, et  
 omnibus curis tuum  
 exolve pectus candidum:  
 ut plenius, uberiusque  
 coelitem acceptare possis  
 munera indulgentium.  
 en virgo, Bathorrhriadum  
 stirpe nobili sata.  
 cui patruus rex, Daciae princeps pater,

## Strophe II.

gaudio expletura dulci  
 cor tuum aduenit, tuosque  
 recreat praesens oculos:  
 venienti Phosphoro  
 par, ubi clara dies signum sui aduen-  
 tus medio exeruit caelo videndum.  
 ter beatum te, Samosci,  
 quem superi cumulare nouis  
 gaudiis semper suerunt.

tu magistra-

tu magistratus supremos

## Antistrophe II.

paceque, et gestas duello:  
 tu potentis dextra regis,  
 hostium eius pernicies,  
 et alumnus gratiae.  
 inuidet haec aliquis: verum labores,  
 excubiaeque tuae non inuidentur.  
 at tu iter, coeptosque cursus  
 indomito urge animo, neque de-  
 terreare, quo laboranti  
 utilem minus, Samosci,

## Epodos II.

praestes operam patriae:  
 seu consilio,  
 siue inuaries armis  
 machinas contra hostium,  
 artesque, et assultus velit.  
 maioraque pluraque virtus  
 et meretur, et volenti  
 numine expectat tua.  
 Sed nos quoque, Musa, viam

A ij

ingredi

*ingredi nostram decet :  
 Et nuptiali non abhorrens à lyra*

### Strophe III.

*dædalum cultis Samosciæ  
 auribus sonare carmen.  
 cernó ne ? an fallunt oculi :  
 equidem fallunt nihil.  
 aureus exoritur vesper : viris lux  
 prospera, sed teneris tristis puellis.  
 quid, virago, expalluisti ?  
 nil ab amante viro metui  
 hosticum par est : tibi ille  
 non diem, non annum in unum,*

### Antistrophe III.

*omne sed durans in ævum,  
 est datus fati amicus.  
 patriæ desiderium  
 animo vir deteret  
 comis, amansque tui : dulces parentum  
 nati in amore locum iam iam occupabunt.  
 quos tu, uti sæcunda vitis  
 agricolæ studiosi opera*

*ad viren-*

*ad virentem, consita ulmum,  
 proferes, solatio patri*

### Epodos. III.

*ac præsidio patriæ.  
 hæc iam tibi ego,  
 nupta noua, ominor, utcumq;  
 audiens non audias.  
 hoc vir quoque exoptat tuus :  
 optare te idem quoque par est.  
 plurimum plus vota possunt,  
 Et magis diuos mouent.  
 feliciter exigit  
 coniuges ævum boni, et  
 deos fauentes semper experimini.*



CRACOVIAE.

In officina LAZARI, Anno Domini,

1583.

III. Fejezet.

Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



In officina ... Anno Domini

1883



